

NUMISMATA URBIUM  
**B E R Y T I**  
CUM BEDDORO FRATERNITAS.



Numisma ΑΔΕΛΦΩΝ ΔΗΜΩΝ inscriptum, quale & propositum, memorat Rev. Harduinus; Sed adjecta ibi litera H T A. ad *Heracleam* & *Tarfum* ei referuntur: Quae autem sit ea *Hercalea*, haud proclive putat augurari. In nostro Monogrammata sunt, ex quibus an certi quid elici possit, videbimus. Nihil sane de *Tarso*, nihil de *Heraclea*. Inferius ex B. H & T. compositum rem ad *Berytum* videtur referre, latente litera P. sub litera B. De hoc ego non dubitem, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem superius? annon & in hoc B. H. & P. eandem urbem designabunt? Non dixerim, respondit DULODORUS, potius in tractu vicino aliqua nobis investiganda, quae literas has initiales praferat. De *Beroë* cogitarem, inquit ARCHÆOPHILUS, nisi vel secunda litera obfaret, vel etiam cum *Beryto* eandem nossem, ex Nonno Dionys. 41. v. 364.

Πρωτοφανής Βερόν πέλε σύγχρονος ἡλικι κόσμῳ,  
Νύμφης ὀλυγόνιοι Φερόνυμος, ἦν μεγανάσαι  
Υἱέες Αυσονίων ὑπατίῃσιν Φέγγεα Ρώμῃσιν  
Βηρυτὸν καλέουσι, ἐπεὶ λιβάνῳ πέσει γείτων.

*Prima apprens Beroë fuit coeva equali mundo,  
Nymphæ sed genitæ nomen habens, quam exules  
Fili Ausoniorum eximia lumina Romæ  
Berytum appellant, postquam Libano cecidit vicina.*

Hæc, inquit DULODORUS, valeant, cum & *Beroë* Nympha in *Beryten* sium nummis suffragari videatur: Fuisse tamen & aliam *Beroën* in *Syria*, quae à *Seleuco Nicatore* condita, posteaque *Aleppo* dicta est, omnino est monendum, & fateor, nisi secunda litera obfaret, ad hanc libenter respicerem, cum utique nominum affinitas etiam initæ fraternitatis rationem panderet; Sed mihi de tertia in Monogrammate litera dubium est, cum utique si P. ea sit, inversa sit oporteat: quanquam ne P. inversum statuam, anguli obstant, quibus potius literam Δ videtur exprimere, quod positò ingenuè fateor, me nescire, quò respiciendum sit? Neque enim ad ΒΗΔΔΩΡΩ poteris, Civitatem *Judææ*, quam *Ptolemæus* memorat, nisi *Beryti* nummum percussum statuas, ideoque *Jovis* & *fulminis* insignitum memoriâ. Quicquid credas, minimum indubium erit, ad Tractum *Phœniciae* regionumque vicinarum ejusmodi Numismata pertinere, & cum supra *Phœniciam* in *Syria* etiam ΗΡΑΚΛΕΑ eidem *Ptolemæo* memoretur, inde & Numismati *Harduini* lucem exurgere; Nec opus esse, vel ad *Thraciam*, vel ad *Ponticam*, *Caricam*, aut *Æolicam* abire. De his, inquit ARCHÆOPHILUS, ego sollicitus non sum, potius de *Jove* & *fulmine*